



Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Doctrina 3. Desumpta ex cap. 25. lib. 4. Regum, in quibus describitur
Jerosolymæ obsidio & eversio per Nabuzardam facta. Sedeciæ supplicium.
Joachimi exaltatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 25. lib. 4. Regum, in quibus describitur Jerosolyma obsidio
& eversio per Nabuzardan facta. Sedecia supplicium. Joachimi exal-
ratio.

Confidera : **M**ysterium, Doctrinæ morali accommodum latere sub ^{N. 325.}
hoc, quod S. Scripturâ citatô cap. testetur; Nabuzar-
dan (Principem Coquorum Septuaginta vocant, destruxerit muros Jero-
solymæ urbis, alias invictissimæ. Hic equidem Princeps coquorum teste S.
Greg. M. curæ pass. p. 2. admon. 20. Venter est, cujus magnæ cura obse-
quium impenditur à coquis, ut ipse delectabiliter impleatur cibis. Muri Jerusalem
virtutes sunt animæ, ad desiderium superni Patris elevatae. Coquorum igitur Prin-
ceps muros Jerusalem dejecit, quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes ani-
mæ per luxuriam destruuntur. Antiquissimus ille hostis, qui teste Joanne
patuit olim ruinæ magnæ, quasi resumptis viribus Arcem illam invi-
ctissimam Christum Dominum oppugnaturus, & ut sperabat expu-
gnaturus, quid quæso moliebatur, nunquid flammæ libidinis pe-
ctori ejus injecit, quales injecerat Davidi, Salomoni & Samsoni,
& mediantibus quibus eos straverat? aut obtulit pecunias, per quas
innumeros alios, virtute munitos corrupit viros? neutro ex his,
etsi fortissimis, usus loquitur. Sed lapides tantum objecit, additis
verbis: si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Quod debellandi
genus considerans S. Chrysologus Serm. 3. ait; quid est, quòd je-
junante Christo Deitatis signa in sola panis promissione perquiri?
& quem Dei filium continuâ significatione jejunii persentit, esse
Dei Filium de provisione panis, de cura ventris desiderat appro-
bare? si Filius Dei es &c. Quare non dixit: si Filius Dei es, dic; ut
homines Angeli, aut aliquid aliud fiant? quia scilicet mediante
gulâ etiam per solum panem Christum à se, quantumvis ipsiusmet
Dei Filius esset, seducendum sperabat: sed delusus à Christo, quem
his armis vincere non valuit, illa in nos debiles convertit, quoti-
dianas fermè victorias cantans. Nec saturatur, nocuisse animæ per
gulam, etiam corpori fatales machinatur insidias per hoc vitium,
sciens illud S. Ambrosii Serm. de Cain & Abel effatum, millenâ ex-
perientiâ probatum esse? *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas.*
item

item illud Eccles. 37. *In multis escis erit infirmitas.* Nam sicut plenilunii tempore cæsa aut plantata ligna ob humoris abundantiam, à luna tunc causatam vermes generant, à quibus corroduuntur: ita corpus humanum nimia ciborum abundantia pastum morbos gignit, à quibus sensim destruitur, maturè tumulo inferendum. Hinc non ineptè gulam comparaveris piscinæ probaticæ, circa quam Joanne teste cap. 5. *Facebat magna multitudo languentium.* Antiphanes Delius artis medicæ peritissimus dicere consueverat teste Clement. Alex. *Pædag.* l. 2. vel unam hanc esse morborum causam, quam gula vel maximè nostris exposuit temporibus! *Quidquid avium volitat, pulcherrimè asserit Seneca 10. Rhet. quidquid piscium natat, quid serarum discurret, nostris sepelitur ventribus. Quæres nunc: cur subito morimur? quia tot mortibus vivimus.* Quare ò Christiane Lector! si animam tuam à vitiis, corpus verò à morbis securum habere cupis, gulæ vitium ante omnia fuge: aut Dæmon per Nabuzardan coquorum Principem te divinâ gratiâ & sanitate corporis privatum, captivum sistet illi Regi, qui locò sceptri falce dominatur in omnes mortales. Sin verò fueris moderatæ abstinentiæ deditus, tunc post obtentas virtutes & multa merita, atque sanos dies, quos in mundo duces longos, id assequeris à Deo, quod Rex Joachim, modicò pane diu in carcere victitans, assecutus legitur à Rege Babylonæ v. 28. citati cap. *Illum enim eduxit Rex de carcere, & locutus est ei benè, & posuit Thronum ejus super Thronum Regum &c. & mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, & comedebat Panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vita sua.* Quæ vita respectu tui erit tunc vita æterna.



FASCI-